



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 1. Quid est Ira.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

ejusque pia Consilia sequi: nam suggeret remedia, quæ pœnitenti erunt utiliora, & huic tentationi superandæ aptiora.

Not. Ista remedia valent etiam contra alia vitia, & tentationes.

ARTICULUS V.

De Ira.

Q. 1. *Quid est Ira?*

Resp. Est inordinatus appetitus vindictæ. Ira autem est inordinata dupliciter. Ex parte objecti, cum quis vindictam optat ei, qui non meruit, vel majorem, quam, meruit, vel inferendam sine legitima auctoritate; vel licet sit justa, non tamen eam appetit ut justam, sed ut satiativam animi sui malevoli. Ira sic inordinata est peccatum mortale ex genere suo, cum sit contra charitatem, & justitiam. Hinc ad Gal. 5. ira numeratur inter opera carnis excludentia à regno Dei. Potest tamen esse venialis ob defectum sufficientis advertentiæ, vel ob levitatem materiæ.

2. In modo irascendi, utpote si quis nimis ardens irascatur interius, vel si nimis exterius manifestet signa Ira. Et sic ira secundum se non habet ex suo generationem peccati mortalis. Ait S. Thom.

q. 158. a. 3. potest tamen esse mortalis ratione scandali, blasphemiae, injuriae, convitii, maledicti, &c. Quae ex nimia irae commotione oriuntur.

Q. 2. *Quenam sunt filia Ira?*

Resp. Sunt 1. Indignatio, quae est animi commotio contra alium ob malum ab illo acceptum, quia hoc indignum reputat. Saepe venialis est: mortalis verò ratione maledicti, contumeliae, gravis odii, contemptus, vindictae, vel scandali.

2. Tumor mentis, qui est aestus quidam exandescens animi, & excogitantis diversas vindictae vias. Mortalis, vel venialis est, pro qualitate vindictae excogitatae, & expertae.

3. Clamor, qui est inordinata, & confusa locutio. Potest esse mortalis ratione convitii, maledicti, scandali, &c.

Denique Blasphemia, contumelia, maledictio, rixa, pugnae, seditiones, vulnera, homicidium. Quae omnia sunt ex genere suo mortalia, utpote contra charitatem, & justitiam.

Q. 3. *Quanam sunt Ira remedia?*

Resp. Praecipua sunt considerare, quam sit injusta, & perniciofa, orare, meditari mansuetudinem Christi, nil unquam agere, &